Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

libus celi et bestiis terrae dabo: quia te iudeis
qui uolatilia celi esse debent, pilato et gentibus
qui bestiae sunt terrae, crucifigendum deputabo.
Carnes etiam tuas uolatilibus celi et bestiis terrae da
bo: quia fideles tuos uolatilibus celi, spiritualibus meis
nequitiis, et bestiis terrae, uel uitiis carnalibus, uel
malignis hominibus persequendo cruciabo. Sequitur.
DIXIT autem dauid ad phylisteum. Tu uenis
ad me cum gladio et hasta et clypeo: ego
autem uenio ad te in nomine domini exercituum dei
agminum israel, quibus exprobrasti hodie. Et dabit
te dominus in manu mea, et percutiam te, et aufe
ram caput tuum a te, et dabo cadauera castrorum
phylistiim hodie uolatilibus celi et bestiis terrae:
ut sciat omnis terra quia est dominus deus in israel, et no
uerit uniuersa ecclesia haec, quia non in gladio nec in
hasta saluat dominus. Ipsius enim est bellum, et tradet
uos in manus nostras. Cum ergo surrexisset phylisteus,
et ueniret et appropinquaret contra dauid, festi
nauit dauid, et cucurrit ad pugnam ex ad
uerso phylistei: et misit manum suam in peram, tu
litque unum lapidem, et funda iecit circumducens,
et percussit phylisteum in fronte: et infixus est
lapis in fronte eius, et cecidit in faciem suam super
terram. Preualuitque dauid aduersus phylisteum
in funda et lapide, percussumque phylisteum in
terfecit. Cumque gladium non haberet in manu dauid,
cucurrit et stetit super phylisteum, et tulit gla
dium eius, et eduxit de uagina sua, et interfecit eum,
precidit que caput eius.

DICIT dauid phylisteo, cum filius dei, cuius
dicere est facere, dicit humani generis inimico.
Tu uenis ad me cum gladio et hasta et clypeo,
insistendo meorum fidelium temptationi, cum
delectatione, cum suggestione, cum defensio
ne peccati. Per gladium enim quo uulnus mortis
infligitur: [illegible] delectatio accipitur, quia
mors secus introitum delectationis ponitur.
Per hastam qua hostis impetitur, titillatio sugge
stionis intelligitur. Per clypeum quo corpus
tegitur, defensio peccati exprimitur. Ego
autem qui uerbum dei uocor et sum, uenio ad
te in nomine domini exercituum. Exercitus domini
sunt cogitationes uerbo dei directae, agmi
na dei sunt operationes in timore et amore
dei perfectae. Quibus nimirum diabolus exprobrat,
quia ipse super omnem munitionem ridebit,
et comportabit aggerem. Dominus te in manu
mea dabit, quia uerbum dei laqueos tuos denu
dabit, et te illaqueabit. Percutiam te in
consensu delectationis, et ego uerbum dei au
feram caput tuum, initio suggestionis.
Dabo cadauera castrorum phylistiim, exani
mata monstra uitiorum fidelibus meis, qui sunt
uolatilia celi per contemplationis eminen
tiam, qui sunt bestiae terrae per actionis excellen
tiam, terribiles uitiis, et spiritualibus tuis nequitiis.
Sciet omnis terra, cognoscet omnis ecclesia, cum
mihi de te plena peruenerit uictoria, quia dominus deus
israel regnat, qui non in gladio nec in hasta
saluat. In gladio enim saluabit, cum te fun
ditus extinguet, in hasta saluabit, cum te
iudicii sui acumine transfiget. Ipsius est enim
bellum, qui dominus est omnium spirituum, et tradet
uos spirituales nequitias in manus nostras, suorum fi
delium saluando reliquias. Phylisteus sur
git, cum diabolus per sacerdotes et principes populi
iudaici in mortem christi exardescit. Uenit, cum
per iude traditionem eius promouet passionem.
Phylisteus contra dauid appropinquat, cum
diabolus in filium dei per mortem crucis inhi
at. Dauid festinat, cum filius dei redemptionem
mundi passione sua accelerat. Ex aduerso
phylistei ad pugnam currit, dum superbie
diabolice humilitatem sue crucis oppo
nit. Manum suam in peram mittit, dum pote
state diuina animam suam ponit, et resu
mit. Lapidem unum tollit, et funda circum
ducens iacit, dum illam suam sanctissimam ani
mam per multiplices species irrisionum.